

Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator
communiter resurgit ad justitiam.**

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 6. Caeteris paeribus, Deus gratias suas liberalius distribuit peccatoribus Ecclesiae compagi adhaerentibus, quàm indè abscedentibus. Sed nihil hinc sequitur pro ante dicta Gratia, ab hoc Auctore ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. V I.

Cœteris paribus, Deus gratias suas liberalius distribuit peccatoribus Ecclesiæ compagi adhaerentibus, quam inde abscedentibus. Sed nihil hinc sequitur pro ante dicta Gratia, ab hoc Auctore asserta.

Ceterum non negavero, peccatores adhuc Ecclesiæ compagi cohærentes, præ iis qui foris sunt, amplius & frequentius cœlestis gratiæ rore aspergi: cum enim Ecclesia corpus sit Christi, in aspersionem sanguinis ejus convocata, atque illi vitalis & irradiantis gratiæ influxus à capite suo Christo, cui unita est subministretur; hujus influxus & ipsi dum membra ejus permanent, præ aliis fiunt participes. Hinc fides, hinc fraternitatis amor, quo reliquis cohærent Ecclesiæ membris, in eis perdurant: hinc piè interdum compuncti, quamvis cupiditates suas omnino deserere nondum statuant, ac per hoc dorsum quodammodo Deo Quest. ii. habeant obversum, subinde tamen ut ap. Matth. positiè Augustinus, vel retorto collo ad illum conantur respicere, sibiique in peccatis displicant, ac bonos diligentes, iis se dolent dissimiles: hæc & ejusmodi alia

alia, gratiæ in ipsis effectus sunt. Verùm alia gratia est, eaque potentior, quâ Deus auferit cor lapideum de carne nostra, & dat cor carneum: id est, ait Bernardus, non durum, Ser. 1. in dedicat. Ecc. non obstinatum, non Judaicum, sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed devotum. Hac carent, quamdiu cupiditatibus suis obsequentes, imperanti Deo nolunt se subdere.

In quantum tamen divinæ gratiæ particeps effecti sunt, habent quo proficere possunt, & illam potentiorem, quæ cor ipsorum molliat atque immutet, petendo, quærendo, atque pulsando, pie que laborando impetrare. Et quia hinc summa rei pendet ipsum, nihil eis pro hac consequenda, uti à Manuductione rectè assertum est, sed ab hoc Auctore non rectè improbatum, arduum nimis debet aut difficile videri. Non hîc sese malâ securitate in iniquitatibus suis lactent nec putent, tametsi eis, quoisque libuerit fuerint obsecuti, non tamen hac ope gratiæ destituendos. Terra enim, ut ad eorum terrorem dicit Apostolus, saepe venientem super se bibens imbrem proferens autem spinas & Hebr. c. 6. tribulos reproba est & maledicto proxima: cuius r. 7. 8. consummatio in combustionem. Quod illis accidit de quibus alibi ait: *Eo quod charitatem*

2. ad Thess. tamē veritatis non reperiunt, ut salvi fierent,
c. 2. v. 10. ideo mittet illis Deus operationem erroris ut cre-
dant mendacio & judicentur omnes, qui non cre-
diderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

CAPUT III.

An Deus gratiam veræ pœnitentiæ cuilibet pec-
catori semper offerat in vita, & sàpè neget
in extremis?

Item an cum hoc bene consistat, quod si eam ali-
quando negaret in vita, hortaretur ad im-
possibile?

QUAMVIS Appendix author, ut
vidimus, fidei esse velit, omni-
bus peccatoribus gratiam veræ
pœnitentiæ offerri à Deo: Unam tamen
num. 241. profert exceptionem, dum
eam maximo peccatorum numero usque
ad vitæ terminum in peccatis suis perdu-
rantium, in extremis confitetur denega-
ri. Hanc exceptionem non abnuo: Nam
Ser. 38. ex revera, si bene memini, ait D. Bernardus,
parris sive in toto canone Scripturarum, unum latronem
Ser. 75. de invenies sic salvatum. Non tamen cuiquam
diversis. salutis spes adimenda est, nam uti ibidem
subjungit: *Spiritus non modo, ubi vult, sed*
quando vult, spirat, nec ei difficile est de subito
perfectam dare contritionem cordis, quam vix
multo